



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XXIII. Virtutes solidæ in P. Martino Humilitas & Paupertas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

CAPUT XXIII.

Virtutes solidæ in Patre Martino.



Cum se totum soli DEO, absque omnibus respectibus humanis, eviscerationibus confidentiæ humanæ postpositis commisisset, solumque DEUM pro scopo, refugio, consiliario intimo, & receptaculo sancto elegisset; communicavit eidem vicissim DEUS gratiam supra vulgarem consuetudinem, ut supra communem hominem Divinum aliquid, sanctumque in eo transluceret, omnibusque summis & infimis auctoritatem ordinariâ majorem, cum horrore quodâ reverentiali conciliaret. quam auctoritatem tuebatur P. Martinus suavitate, parcitate verborum, humilitate internâ & externâ, omne quod honorem vel plausibilem conversationem saperet, effugiendo. si suâ in potestate occasionem exercendæ humilitatis videret, eas avidè arripiebat. Tyro alterius anni à Provinciæ Moderatore interrogatus, quâ vocaretur? respondit: Martinus Nequam. Observaverat in eo quispiam, quòd triennio humaniora Pragæ docens, pro more Magistrorum, nunquam editionem

tiorem Cathedram conscenderet, sed stando in terra, omnia perficeret. Jussus à P. Ferdinando Albero Provinciali fatisfecit quidem obedientiæ unico ascensu, sed mox ad Modestiæ planum descendit. Familiaria post mensam colloquia, cum Juventute Religiosa Vir grandævus ut plurimum instituebat. Si labores viliiores, solis aliàs Juvenibus consuetos in concinnandis vel glutinandis chartis ad publicas repræsentationes ordinari advertit, mox ultrò semetipsum Juventuti, maximis defunctus officijs, associavit. Absoluto Pragensi Rectoratu, illam sibi anguli & habitationis partem sub tecto elegit, quæ aliàs infimo cuique per necessitatem angustiarum decernebatur. In nulla re sibi ministrari à quocquam passus. si ob virium debilitatem vel officium, alienâ manu ad everrendum cubiculum uti adigeretur, ipse in pulvere abstergendo socium agebat. Ægrotudinis tempore, pro ministratâ sibi frigidâ, humiles gratias reddebat, memorémque se fore gratiæ sibi præstitæ pollicebatur. Dicta porrò vel facta, quæ ad sui contemptum præter opinionem & expectationem præsens inaudiebat, suavi renidentéque vultu excipiebat. Contigit nonnunquam ut Juvenis quidam Religiosus, (magisne grossus an levis judicandum relinquo) levitatis consortem ratus, collo P. Martini, eo tempore sui Superioris,

intra tenebras se appenderet. arripuit omnino pondus P. Martinus, truncumque illum bipedem, cetera debillimus tacite gestavit, usque dum ad lucernam deferret. cuius ad lucem: *satis, inquit, es ponderosus mi frater.* Æneam haud dubie maluisset, quam Anchisen agere grossa illa levitas. Tyronum ac Domûs Probationis Brunensis, (ut etiam inde modestiam animi advertas) fuit amantissimus. illis se per litteras frequentius commendabat; illorum precibus valetudinem ac vires, in regimine, viarum Discrimina per hostium cuneos superata tribuebat. Unde in hunc sensum plures litteras ad Brunenses dabat:

Datas à R. V. 9. hujus accepi, cum dulcissimis amoribus Domûs vestræ, quibus maximam ex parte caducam vitam meam credo sustentari. DEUS vobis rependat suam charitatem, & in ea olim unitos faciat in æternum collatari!

Et iterum: peramanter R. V. totiusque benedictæ Domûs vestræ SS. Sacrificijs & orationibus me commendo, quibus maxima ex parte videor attribuere debere mearum peregrinationum successus. DEUS tribuat & auget in nobis suam charitatem.

In alijs sic habet: Ecce me hodie 4. pomeridianam Czeikovicij extra pericula preces vestræ deposuerunt. Benedicti vos à Domino oratores

tores, & Benedictus Dominus, qui non amovit orationem suam à vobis.

Hæc aliquando litteris suis adjunxit: Obruit me charitate & gratijs suis R. V., quibus si paria refundere me oportebit, valde metuo nê moriar obærat, & R. V. jure mecum agat in æternitate!

Assumptus vice altera in Regimen Provinciæ, sic se precibus Tyronum commendavit, sic officium suum publicavit:

A kalendis Januarij quo mihi nov-antiquum onus portandæ provinciæ impositum est, cogor & tacitos amores & interruptas curas Domûs Vestræ publicare ac resumere. mactatissimus sum, si me orationibus vestris non fulcitis; si firmaveritis, amantissimum vestri & studiosissimum mancipium effecistis. Quod si vota vestra me, ex nidulo meo lugentem turturem, vel ex sepulchro filicernium aut cadaver, ex parte in lucem extraxerunt, næ vos tenebimini pro rata lætitiâ salutaris Domini, aut spiritû vitæ cœlitus affectui vestro obtinere! Ampletor R. V. cum omnibus RR. PP. ac FF. veteranis ac Novitijs reverenter & amanter in Domino, precôrque singulis pro novo anno eum spiritum, quem S. Ignatius in Societate JESU voluit vigere! & demum me comendo SS. Sacri-

150 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

ficijs, & orationibus eorundem Pragæ 4. Januarij. 1648.

Inter reliqua, quæ humilitatis veræ lineamenta genuina referunt, est usus rerum mundi pauperrimus. statuat se fingit humilis, cui nihil de jure debetur, nisi quod per gratiam adjicitur. Et re vera, lydius lapis humilitatis, est experimentum voluntariæ paupertatis. cùmque humilis ad exinationem suæ & ad nihil tendat, omnia interna & externa removet ac tollit à se, ut verum nihil, tantò citiùs & puriùs acquirat, solo sui nihili contentus, & solo DEO dives volens haberi. Talis fuit in omnibus P. Martinus. qui se ut statuat integri veriùs rudibus amiculis, quàm ornari permisit nullius minus quàm rerum mundi ambitiosus. Vestes interiores simplices & longo usu attritæ; magnòque artificio opus ad persuadendam ei cujuscunque novæ vestis admissionem. in qua nihil unquam velut sibi minus idoneum mutari sinebat, sed omne illud censebat optimum, quod absque pretio in usum commodabatur. crepidis in annos plures non usus. pallio velut certo & appropriato, ut mos eo tempore ferebat, semper abstinuit, Coci vel Janitoris Domûs, mutuo, quantumvis curto ad ludibrium vanitatis in publico contentus. libri precatorij, lypsanotheca rudi funiculo è collo pendula, & corolla

rolla penitens vulgaris, chartulæ pro Adversarijs
 è litteris residuæ. Munuscula, quæ pietatis pro-
 movendæ inter alios velut instrumenta, solent
 etiam à perfectioribus aliquando distribui, non
 admittit nec dispertijt. Quodsi consuetudo Pa-
 ternæ charitatis declarandæ gratiâ dandum ali-
 quod suis Xeniolum judicaret, id tenue præ-
 stabat, icunculam v. g. chartaceam ejusdem
 formæ ac pretij summis & imis, pretium stren-
 næ paupertatis affectu dulciter compensans.
 Si loco vel officio abeundum esset, mox ipse vi-
 lem suam, solis aliquot chartis malè fartam far-
 cinulam Ministro Collegij lustrandam obtulit.
 Effuderat se scabrities quædam squamea, sca-
 bieci ad instar in manus P. Martini per annos ali-
 quot, adeo ut publicè in triclinio etiam chiro-
 thecis (accisis summitatibus) uti cogeretur.
 Sed hæc tam fusca ac viles, ut viliores ferre non
 ampliùs decuerit.



CA-